


2/97

IDIBVS AVGVSTIS  
MCMXCVII



RVMOR VARIVS



TOMVS 20

FASC. 118

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.  
Dr.phil. Emanuel Bernard  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:  
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.  
Dr.phil. Emanuel Bernard  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:  
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hoc anno nonnullorum musicorum et poetarum praeclarorum dies natales ducentesimos celebramus. Anno 1797° enim nati sunt musici



Franz Schubert

Franciscus (Franz) Schubert (1797-1928) Austriacus, die 31° mensis Ianuarii Lichtental(i) apud Vindobonam (Wien), componista mirabilium operum musicorum immortalium velut cantuum, symphoniarum, sonatarum multorumque aliorum operum claviario modulandorum, musicae choralis, musicae cameralis variae; Caietanus (Gaetano) Donizetti (1797-1848) Italicus, die 29° mensis Novembris Bergomi (Bergamo), qui dramata musica, quorum adhuc 'Potus amatorius' ('L'Elisir d'amore', Theodisce: 'Der Liebestrank'), 'Lucia di Lammermoor', 'Don Pasquale' clarissima sunt,

composit.

Eodem anno in lucem edita est poëtria Annette von Droste-Hülshoff (1797-1848) Germanica, die 10° mensis Ianuarii in arce Hülshoff apud



Jeremias Gotthelf

Monasterium (Münster); nati sunt poëtae Henricus (Heinrich) Heine (1797-1856) Germanicus, die 13° mensis Decembris Dusseldorpii (Düsseldorf) et Albert Bitzium, qui ipse sibi imposuit nomen, quo celeberrimus est: Ieremias Gotthelf (1797-1854), Helveticus, die 4° mensis Octobris Morati (Murten).

Aptissime itaque accidit, ut amicus noster Nicolaus Gross e Corea ('Germanus Coreanensis' ipse se vocat) nobis excerptum versionis Latinae fabulae Gotthelfianae 'Araneae nigrae' (originaliter: 'Die Schwarze Spinne') miserit, quam ipse ingeniose confecit. Praeterea praefa-

tionem de ingenio et arte Ieremiae Gotthelf composuit, quam in hoc libello primae parti versionis 'Araneae nigrae' praepositam legere poteritis. In proximis libellis RUMORIS VARII huius anni ceteras partes divulgatas invenietis.

Spero alia quoque, quae in hoc libello legere poteritis, vobis gaudium et delectamentum allatura esse. Et optime nobis placebit, si symbolas legentes vos quoque ad scribendum incitemini et indomita cupiditas exempla aemulandi vos invadat, ut Musis osculantibus ipsi calamum vel stilum capiat et opera vestra nobis mittatis. Semper enim illa gratissima nobis erunt, quia - ut saepe iam scripsi - symbolis legentium semper nobis opus erat et est et erit. Gratias!

Tempore aestivali quam optime fruamini!

Valete!



Daniel Weissmann



## Proverbia Hispanica

*Más hace el que quiere que el que puede.*

Efficit plura ille, qui vult, quam ille, qui potest.

\*

*El lobo harto de carne se mete fraile.*

Lupus carne satiatu monachus fieri contendit.

\*

*Más sabe quien mucho anda que quien mucho vive.*

Ille, qui multum vadit plus scit quam ille, qui diu vivit.

\*

*Si como mientes corres, el demonio que te alcance.*

Si ita curris ut mentiris, ne diabolus quidem te assequitur.

\*

*El amor por los ojos entra.*

Amor per oculos intrat.

\*\*\*\*\*

*Vísterme despacio, que estoy de prisa.*

Lente me vesti, cum festinandum mihi sit!

\*

*Quien no dice lo que quiere, de tonto se muere.*

Ille, qui non dicit, quae cupit, stultitia moritur.

\*

*Ninguno ve lo que tú sabes, mas todos pueden ver lo que tú haces.*

Nemo vidit, quae scis, sed omnes videre possunt, quae facis.

\*

*Más enseñan los desengaños que los años.*

Docent magis spes deceptae quam aetatis anni.

\*

*Quien tiene arte va por todas partes.*

Artem sciens in omnes partes pervenit.

\*\*\*\*\*

*Bebiendo, comiendo y durmiendo se quitan la sed, el hambre y el sueño.*

Bibendo, comedendo, dormiendoque sitis, fames somnusque tolluntur.

\*

*Hay casualidades que parecen providencias.*

Res fortuitae nonnumquam providentiae simillimae sunt.

\*

*El que tonto va a la guerra, tonto viene de ella.*

Ille qui stultus in bellum it, stultus ex eo revertitur.

\*

*Alegría no comunicada, alegría malograda.*

Gaudium non communicatum - gaudium irritum.

\*

*Más vale morir en paz que vivir en guerra.*

In pace mori plus valet quam in bello vivere.

\*

*El miedo para nada sirve y para todo estorba.*

Timor nulli rei prodest et omni rei obstat.

\*

*El miedo es mal compañero.*

Timor comes malus est.

\*

*Más vale estar solo que mal acompañado.*

Esse solus plus valet quam cum comite malo.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



## ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
5+6/96	106, v. 17	Lorcarno	Locarno

# Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. soror Didonis (Acc.)

2. pecuniae, quae Charonti vel collegis eius solvendae sunt (Nom. pl.)

3. voluntas divina

4. nutrire

5. animae mortuorum

Daniel Weissmann



## De feminis, quae in servitute veterum Romanorum erant

Bellorum multorum causa magnus numerus servorum servarumque apud veteres Romanos varia munera exsequebantur.

Servae autem, cum saepe indoctae essent, officia pauciora exercebant quam servi. In servitute muneribus nutricum, mimarum, meretricum fungebantur. Pleraeque servae negotia domestica gerebant. Nonnumquam officia earum insolita videntur. Aliae dominam ambulans comitabantur, ut viam per turbam aperirent. Aliae dominae in lectica sedenti scabellum apportabant, ut commodius descenderet. Apud Romanos divites servae saepe erudiebantur, ut munera scribarum vel dispensatorum exercerent.

De vita servarum ruri acta haud multa cognoscimus. Cato Censorius in libris de agricultura scriptis officia vilicae enumerat. Vilica erat serva, cui dominus fidem magnam tribuebat. Erat tamen imperio vilici subiecta. Ceterum mos erat omnes servas voluptatibus dominorum deditas esse. Cato Censorius, vir avarus, a servis suis servarum familiae cupientibus pecuniam quandam exigebat.

Uxores Romanorum saepe erga servas, quae a maritis in deliciis habebantur, magnam benevolentiam conferebant. Liberi servarum enim hereditatem domini adire non poterant.

Post mortem Scipionis Africani uxor eius, nomine Aemilia, servam quandam a marito in deliciis habitam benigne manu misit.

Servae non semper belli captivae erant. Nonnumquam puellae a parentibus indigentibus veniebant. Meretrices fiebant vel ad finem hunc educabantur.

Barbara Maier



### Litterae legentium nobis missae

De libello 5+6/96 Estelle Gitta haec nobis scripsit:

De fasciculo hodie mane per cursum publicum delato haec pauca: Libellus centesimus sextus decimus mihi videtur materia ac varietate argumentorum specialiter delectabilis. Cordi mihi est scribere, quanto cum gaudio symbolas tuas de pelliculis nuper visis legerim. Credo enim actis praesentibus exhibitis demonstrari multis intellegibiliter penitusque Latinam linguam necessario aptam esse ad usum hodiernum.

Spero igitur fore, ut fasciculus centesimus septimus decimus mox in lucem edatur atque tuo indefesso labore numerus eorum, qui Rumorem Varium legunt, in dies augeatur.

Cura, ut optime valeas!



Estelle Gitta

### Haicua Latina

Solis rubescit  
splendor, viae silescent  
murmur, noctescit.

\*

Veris post primos  
dies lucidos, atra  
heu redux hiems.

\*

In vitro lente  
gyrat piscis, regyrat  
pellucidulo.

\*

Ex herba densa  
leni prosilit saltu  
feles in avem.

\*

Sursum deorsum  
volant muliebria  
pectora cursu.

\*

Iuvenes labris  
ulnis, oculis, ore  
savia vorant.

\*

Ignis folia  
dum consumit mortua,  
micant stellulae.

\*

Haicu dum ludo  
obrutus negotiis,  
repuerasco.

Theodericus Sacré

## Facete lepideque dicta

### Membrum medium

Anthropologus ex iungala (Dschungel) revertens a relatore aliquo interrogatus est, num membrum medium adhuc ignotum inter simiam et hominem tandem invenisset. "Inveni", investigator respondit; "illud membrum medium nos ipsi sumus."

Daniel Weissmann

### Versus a rege compositi

Ludovicus XIV, rex Francogalliae, nonnullos versus finxerat et opusculum critico celebri nomine Boileau monstravit. "Quid de his versibus iudicas?" rex interrogavit. Boileau opus perlegit et perfecta elegantia ancipiti respondit: "Maiestas saepe demonstrabat Maiestate volente nihil fieri non posse. Nunc Maiestas - ut puto - versus malos componere voluit, et id re vera Maiestati successit."

Daniel Weissmann



### Medea antiqua semper renascitur

Haud pauci auctores aetatis nostrae fabulas veterum Graecorum poetice prosequuntur. In numero eorum est Ioannes (Jean) Anouilh, poeta Francogallicus, qui de fabula Medae disseruit. Fabula eius actus unius est. Auctor tragoediam anno millesimo nongentesimo quadragésimo sexto p. Chr. n. in vulgum edidit.

Medea, Francogallice 'Médée' nominata, in genus fabularum earum cadit, quae ab auctore 'fabulae nigrae' appellabantur. Agitur de hominibus,

qui rebus a hominibus creatis opponuntur. Legibus, institutis, matrimonio et ceteris talibus in angustias compelluntur, franguntur, saepe perduntur. Homines illi iudicium aliorum non subeunt. Erga se ad ultimum in fide manere cupiunt. Itaque spem unam in morte habent.

Medea vitam improbam recusat. Iam initio fabulae Iasonem, maritum infidelem, reliquit. Cum nutrice ante carrum, quem loco domicilii habent, extra moenia subsedit. Intra moenia Iason Creusam, filiam Creonis regis, sibi matrimonio iungit. Incolis festivitates offeruntur. Medea: "Musicam non audio, audio odium meum." Paulo post Iason apparet et culpa vacantem se praebet. Sensa dicendo exprimit: Iuvenis Medeam valde amavit, nunc autem animi tranquillitatem petit. Alterius vitae quoddam initium ordiri vult. Sorte Medeae oneratus est et onus id abicere cupit. Medea, quae Iasonem magno in odio habet, et maritum et domum regiam pro acceptis iniuriis ulcisci cupit. Creusam patremque eius donis veneno imbutis perdit, tum liberos suos interficit, ut Iasoni dolorem acerbum inurat. Postremo Medea se ipsam in carru cremat.

Ita vitae invisae renuntiat. Urbs quoque igni deletur. Iason apparet, ad maestitiam se non revocat. Curis solutus in ruinas urbis redit, ut omnes res quam celerrime in ordinem redigat. Etiam nutrix vivere vult. Curis vacuum se praebet. Medea mox in oblivionem veniet. Ientaculum parari opus erit. Nutrix omnes labores domesticos, qui ad vitam cottidianam pertinent, enumerat. Tum custodem interrogat: "Messisne hoc anno bona erit?" Et custos: "Bona erit, nos omnes satis panis habebimus." Velum scaenicum demittitur, dum loquuntur. Fabulae finis cuiusdam ironiae dissimulantiaeque est. Tamen auctori hoc quaerendum esse visum est: Iasone vero iure Medeam in perturbatione omnium rerum relinquit? Medeane iure pro acceptis iniuriis salutem publicam negligit? Urba tota enim deleta est. Jean Anouilh sententiam non fert.

Barbara Maier



# SOLUTIONES

ad libram →

- 1 conditor Romae urbis
- 2 insula Calypsonis nymphae
- 3 sententia sine verbo (definitio grammatica, lingua Germanica)
- 4 filia Latonae deae
- 5 deus Romanus

ad perpendicularum ↓

- 1 rex Cretae insulae
- 2 rex Troiae
- 3 filia regis Cretae
- 4 fluvius, apud quem Romani a Gallis superati sunt
- 5 regina Aegypti
- 6 locus Africae, apud quem Scipio Hannibalem vicit (anno 202 a.Chr.n.)
- 7 incola patriae Ulixis (dat.)
- 8 coniux regis Spartae

Si litteras in quadrulis aenigmatis parvis litteris significatis in apta quadrula rava sub aenigmate sita transtuleris, claram sententiam Latinam invenies!

Hoc aenigma composuit **Mara Brizzi**

<sup>a</sup> T <sup>b</sup> E <sup>c</sup> M <sup>d</sup> P <sup>e</sup> O <sup>f</sup> R <sup>g</sup> A

<sup>h</sup> M <sup>i</sup> U <sup>j</sup> T <sup>k</sup> A <sup>l</sup> N <sup>m</sup> T <sup>n</sup> U <sup>o</sup> R

<sup>p</sup> E <sup>q</sup> T

<sup>r</sup> N <sup>s</sup> O <sup>t</sup> S

<sup>u</sup> M <sup>v</sup> U <sup>w</sup> T <sup>x</sup> A <sup>y</sup> M <sup>z</sup> U <sup>A</sup> R

<sup>B</sup> I <sup>C</sup> N

<sup>D</sup> I <sup>E</sup> L <sup>F</sup> L <sup>G</sup> I <sup>H</sup> S



# ARANEA NIGRA

fabula a Ieremia Gotthelf poeta Helvetico scripta

(Die Schwarze Spinne, ed. a. 1842)

## Pars prima:

### I. Praefatio versionis Latinae auctoris, Nicolai Gross

**"Si quis in narrando studet adipisci facultatem graviorem, opertet se insinuet in magnam artem epicam, qua se perfundat, ut ingenium excolat. Itaque legi Ieremiae Gotthelf 'Araneam nigram', quam tantum admiror, quantum vix alterum opus litteraturae mundanae."** <sup>1</sup>

Thomas Mann

Helvetiorum gens litteraturam theodiscam ornavit haud paucis operibus mirabilibus. Inter saeculi proximi praeteriti auctores Helvetios insigniter praecellit trias poetarum: Godofredus Keller et Conradus Ferdinandus Meyer et Ieremias Gotthelf. Quorum unus describit cives oppidorum Helveticorum, alius reges et principes Europae aetatis renascentiae, tertius agricolas. Qui nomine originali appellatus erat Albert Bitzius, ipse sibi imposuit nomen, quod est Ieremias Gotthelf (1797-1854). Idem filius parochi in provincia Helvetiae Bernensi natus ex anno 1832 fuit parochus vici *Lützelflüh* in valle Emmana (*Emmental*) siti.

Ieremias stupenda cum abundantia verborum et magna cum inflammatione animi exponit vitam agricolarum. Fabulis Gotthelfianis insunt insidiae vicanae, contractus operandi, negotia argentaria, quaestiones usurae et anatocismi, petitio nuptialis, contractus conubiales, lites hereditariae, rixae et pugnae in caupona actae, nebulones, parcepromi, sementum, messis, partus, baptisma, mors, funus, calamitas, pestis, tempestates, procellae, eqs. Ut brevius dicamus: apud Ieremiam invenies πάντα τὸν τῶν γεωργῶν κόσμον.

Autochthones paeninsulae, ubi nunc versor, cum sedule studeant theodiscas litteras artificiosas sermoni suo patrio mandare, non pauca opera classica iam bis vel ter Coreanice reddiderunt; sed usque nunc nulla exstat

versio operis Gotthelfiani Coreana. Profecto propter vocabula et sententias Helveticae dialecti adhibita non ita facilis est aditus ad fabulas Ieremiae intellegendas. Nam ne Germanus quidem nisi diutius in Helvetia versatus aut commentario usus intellegit verba, qualia sunt *Götti* (patrinus), *Nidel* (cramum, flos lactis), *Munizehn* (flagrum e cauda taurina confectum), *Kalberrochtigi* (mores rupicis, buconis, trunci, caudicis), *Schmutz* (non est sordes, sed adeps suillus), *Trössli* (dos), *gfelligst Düpfi* (filius albae gallinae, i.e. homo felicissimus). Quotus quisque Germanus est, qui divinet, quid valeant verba: *Worbet das Emd!* (Vertite fenum!) et *Wo chunnst, wo wottsch?* (Unde venis, quo vadis?)?

En habeas, candide lector, summarium "Araneae" nigrae a Ieremia Gotthelf scriptae:

Qui poeta fabulam propriam artificiosissime circumclusit fabula marginali. In qua Ieremias Gotthelf exponit festum baptismatis, quod die dominico agitur in locupleti praedio Vallis Emmanae (i.e. *Emmental*, prope Bernam urbem, in Helvetia). Avus interrogatus, quare in pulchra villa permansisset praevetustus postis fenestrae nigratus, narrat fabulam propriam, quae funesta et daemonica perquam contraria est fabulae marginali serenae et hilari. Avus narrator res repetit ante sex saecula transactas, quarum auditores monentur poste fenestrae.

Agricolae Sumisvaldenses servitio praeduro equitis de Stoffeln premuntur. Castello laboriose constructo eques agricolis imperat, ut intra spatium unius mensis a Monte Mynne centum fagos ad castellum advehant ibique ita inserant, ut fiat ambulacrum. Agricolis desperatis videtur vix fieri posse, ut hunc laborem ingentem spatio temporis praescripto perficiant. Tum diabolus persona venatoris viridis indutus pretio animae infantis non baptizati praebet auxilium. Christina fera mulier impia pactum cum satana contrahit spe adducta eum denique a se posse emungi. Idem autem postulat, ut loco nominis pacto subscripti sibi concedatur osculum, quod imprimit genae mulieris. Cum ambulacrum fagorum stupenda cum celeritate constructum sit, agricolae paulatim desinunt formidare adiutorem funestum: "*Coeperunt computare, quanti maioris ipsi valerent quam infans non baptizatus, magis magisque obliti culpam alicuius animae causa contractam milies plus valere quam vitam milies millenorum hominum.*" Appropinquat dies, quo aliqua mulier infantem paritura est. Sacerdos timoratus intrepide pugna contra malum suscepta infantem modo natum baptizat. At in Christinae gena post osculum viri viridis acceptum



exorta est nota, quae Christina vehementer dolente intumescens in dies similior fit araneae diadematae. Postquam sacerdos secundum infantem modo natum baptizat, atroci nota Christinae disrupta eiciuntur innumerae araneolae nigrae, quae incolis Sumisvaldae (Sumiswald) magnam calamitatem inferunt. Proxima muliere parturiente Christina tormenta infernaliter patitur. Cum venosis araneolis boves gregatim necati sint, agricolae parati sunt victimam postulatam offerre. Sed cum sacerdos infante baptizando etiam hanc pugnam ultimam superet, Christina mutatur in araneam nigram necandi cupidissimam, quae homines veneno imbuit, ut horribiliter moriantur. Moriendo etiam horribilior est angor ineffabilis araneae, quae modo ubique modo nusquam versari videtur. Mulier aliqua Deo dedita, amore et fide materna, vitam suam offerens araneam cnodace includit foramini postis fenestras praeparato.

Tum auctor narrando breviter ad fabulam marginalem reversus in parte fabulae principalis secunda variat argumenta partis primae: Duobus saeculis post incolae Sumisvaldenses facti sunt opulenti, sed etiam superbi atque arrogantes. Christianus, unus e posteris illius matris, quae vitam suam obtulit ad araneam includendam, *arroganti cum impatientia* construit novam villam magnificam; vetustam domum poste fatali instructam permittit servis inhabitandam, qui aliquo vespere Natalis Domini in convivio postem fenestras aperientes araneam liberant. Iterum aranea nigra horribiliter saevit, usque dum Christianus vita sua offerenda illam capit et recludit postis fenestras. Posterius agricolae vivunt probi et bene morati: *homines araneam non timuerunt, quia timuerunt Deum.*

Avus, qui in fabula marginali inductus narrat fabulam principalem, in fine adnotat nigro poste fenestras relicto conservandum esse illum *sensum vetustum, quo aranea inclusa sit ligno vetusto.* Cum postea convivae baptismales de fabula inter se colloquantur, patrinus iuvenis nepotem nasutum, qui rem narratam addubitet, leniter vituperans verbis effert, quantum valeat haec fabula ad homines docendos.

"Araneae nigrae" fabulam marginalem cum perleges, credes te participem illius cenae baptismalis agricolarum opulentissimae, quae fit serena cum tranquillitate. Cum apud Ieremiam leges ingruere tonitrua fulguraque, caput demittes et anxie petes refugium. Mirabilis est illa  $\nu\epsilon\phi\text{-}\epsilon\lambda\omicron\mu\alpha\chi\acute{\iota}\alpha$ , pugna nubium. Subtilissime Ieremias describit commotiones animorum, pugnas animarum: sacerdotis fortitudinem heroicam, angores et tribulationes miserae mulierculae parturientis, Christinae dolores hor-

ribiles et furorem daemonicum, agricolarum flebilem timorem et ignaviam, qui quaerunt victimas et hircos emissarios, ne luant poenam propriorum peccatorum. Ne dicam de aranea illa atrocissima. Haec omnia tam ingeniose exponuntur, ut non narrari quae gesta sunt, sed rem geri prorsus videas admiratione et formidine et suspensione animi correptus. En artificem, en auctorem litteraturae mundanae praeclarum! Iudicent censores aequi, num mihi contigerit, ut Ieremiae Gotthelf fabulam fideliter converterem in sermonem Latinum.

## II. Pars versionis Latinae

*(Adhibitus est textus editionis, c.t.: Gotthelf - Erzählungen, Die Grosse Erzähler-Bibliothek der Weltliteratur (Harenberg Kommunikation Verlags- und Mediengesellschaft, Dortmund 1985, p. 36-48).*

### QUOMODO ARANEA NIGRA EXORTA SIT ET SAEVIRE COEPERIT

Omnes, qui adfuerunt, summe gavisus sunt, remoto omni timore, in sempiternum, ut putaverunt; virum viridem semel inductum semper eadem ratione posse induci.

Parata est magna cena, convivis e longinquo invitatis. Frustra sacerdos Domini dissuasit de iubilis et epulis, monuit, ut timerent et orarent, nam adversarium nondum esse victum, Deum nondum esse expiatum. Sibi in animo videri se non debere iis poenam luendam constituere, appropinquare poenam ingentem atque gravem e manu Dei propria missam. Sed ei non audito esculentis potulentisque satisfacere voluerunt. Is autem abiit animo contristato, oravit pro iis, qui nescirent, quid facerent, et, ut erat pastor fidelis, orando atque ieiunando pugnam paravit ad tutandum gregem sibi mandatum.

Mediis in iubilantibus fuit Christina quoque, sed insolito modo tranquilla, genis ardentibus, torvis oculis, facie mirum in modum micante. Christina, ut erat obstetrix perita, adfuerat parienti, animo audaci sine ullo timore testis assisterat infanti subito baptizando, sed cum primum sacerdos infantem aqua conspersit eundemque baptizavit in tribus summis nominibus, mulieri visum erat sibi imprimi ferrum fervidissimum in illo loco, ubi osculum acceperat viri viridis. Contremuerat terrore repentino, infantem paene humum ceciderat, indeque dolor non erat minutus, sed in horas magis magisque fervebat. Christina primo quieverat, dolorem absterserat,

in animo excitato graves cogitationes clam volutaverat; sed etiam atque etiam manu attingebat maculam urentem, in qua sibi sedere videbatur vespa venenosa aculeo ardenti forans medullam suam. Cum nulla adesset vespa fuganda, sed ictus fierent etiam atque etiam fervidiores, cogitationes terribiliores, Christina coepit genam ostendere, interrogare, quidnam in ea conspiceretur, iterum iterumque interrogabat, sed nemo aliquid vidit, et mox nemo voluit tempus terere gena aspicienda. Denique illa rogando assecuta est, ut aliqua mulier vetula genam perquireret; modo gallus cecinerat, dilucuit, tum vetula in gena Christinae conspexit maculam fere invisibilem. Hanc nihili facere, illa dixit, hanc mox evanescere, et abiit.

Deinde Christina sibi consolata est putans hanc nihili facere, hanc mox evanescere; sed dolor non minutus est et punctum parvum sensim crescebat, ut omnes eodem conspecto interrogarent, quidnam nigri esset in mulieris facie. Illi hanc rem non magni faciebant, sed Christinae talia verba quasi morsus dolorem efficiebant, graves illas cogitationes resuscitabant, et semper semperque cogitabat se eodem loco osculum accepisse a viro viridi, eodem ardore, quo illo tempore quasi fulmine ossa sua percussa essent, nunc ea continuo aduri et arrodi. Itaque coepit insomniis fatigari, cibus comedendis os sibi videbatur aduri, inquieta huc et illuc circumcursabat, solacium quaerebat, sed non invenit, nam dolor etiam augebatur, punctum nigrum fiebat maius atque nigrius, ex eodem singulae virgae exigebantur obscurae, versus os autem maculae rotundae videbatur inseri gibbus.

Ita Christina patiebatur die noctuque, nulli homini pandens se angi intimis sensibus, et quid accepisset in illo loco a viro viridi; sed si scivisset, quo modo liberari posset ab hoc dolore, profudisset omnia caelstia atque terrestria. Quae natura erat mulier ferox, nunc dolore saeviente efferata.

(Relationis partes ceterae in proximis libellis sequentur!)

<sup>1</sup> Originaliter: "Mit grosser Epik Fühlung zu halten, gleichsam die Kräfte in ihr zu baden, ist geboten, wenn man selbst erzählerisch Ernstes anstrebt. So las ich Jeremias Gotthelfs 'Schwarze Spinne', die ich bewundern wie kaum ein zweites Stück Weltliteratur."

Nicolaus Gross  
Germanus Coreanensis

## Facete lepideque dicta

In caupona Aemilius Hugoni: "Mulieres tamquam nummi memoriales (1) sunt: Primum de eis certatur, deinde circum collum pendent."

Ministra e hospite quaerit: "Quo modo, domine, tibi iusculum sapit?" Tunc hospes: "Sal optime sapit. Doleo, quod paucum iusculi tantum inest."

Iudex reo: "Cur anulum, quem te in via forte invenisse affirmas, non depositorio rerum inventarum (2) tradidisti?" - "Hoc mihi, domine iudex maxime honorabilis, non necessarium videbatur. Anulo enim verba inscripta sunt haec: *'In aeternum tuus'*."

Catecheta (3) Michaellem discipulum interrogat: "Quid sunt epistulae?" Ad quae Michael: "Certe sunt filiae apostolorum."

Curator scholae e discipulis quaerit, num sibi proverbium clarum dicere possint. Egonus respondet: "*'Fatuus plura scire cupit, quam ut decem sapientes respondere possint'*."

Vir quidam politicus orationem taediosam habet. Postquam per horam integram locutus est, paulisper semetipsum interrumpens ab auscultantibus veniam petit verbis his: "Ignoscite mihi, cari auditores, quod tam diu loquor, sed horologium meum amisi." - "Veniam", aliquis ex audientibus clamat, "damus, sed, si horologium amisisti, calendarium interdum inspicias necesse est!"

"Corculum, visne autocineto ingenti flavo vehi ab auriga gubernato et plurimis viribus equestribus praedito?" - "Certe volo, mirabilissimum est!" - "Sit ita, corculum: sumamus coenautocinetum cursuale (4)!"

Hospes in deversorio queritur: "In domo tua tam frigidum est, ut peniculus dentarius (5) modo manu tenendus sit. Reliqua dentes ipsi faciunt."

Ministra sollicitissima ad deversorium curantem: "Dominus, qui in conclavi

duodetricesimo pernoctatur, risu fere rumpitur. Nonne medicum arcessam?" - "Noli medicum molestari! Hospiti rationem ostende!"

Crassus tenui: "Te spectantes famem terram nostram vexare putent." - "Ad quae tenuis: "Te vero spectantes te famis originem esse putent."

Uxor petaso novo empto marito: "Nonne me ornat optime?" - Tunc maritus: "Dubito valde. Mihi potius appulsum invitum (6) commisisse videtur."

Martin Meier

Vocabularium:

1 nummus memorialis,-i -is (m)	Medaille
2 depositoryum rerum inventarum,-i (n)	Fundbüro
3 catecheta, -ae (m)	Religionslehrer, Katechet
4 coenautocinetum cursuale, -i -is (n)	Postauto
5 peniculus dentarius,-i -i (m)	Zahnbürste
6 appulsus invitus,-us -i (m)	Notlandung



### Prex in aula Caroli Magni dicta

Prex haec in aula Caroli Magni ante cenam dicebatur:


Adsis, Christe, dapes hinc nunc benedicere (1) sumptas, ut satient famulos fercula ista tuos.

Tu nostras animas, petimus, et corpora victu dulcifero pascas, semper alas, vegetes (2).

Namque cibum siccis et potum largus in arvis tu dederas populo rite (3) petenti tuo.

- 1) infinitivus finalis
- 2) vegetare: = reficere
- 3) rite: = convenienter

Barbara Maier



Acta diurna Hispanica nomine 'El país', die 15° mensis Iunii 1997  
In Latinum vertit Daniel Weissmann

## QUANTUM MUTATUS AB ILLO!

Ludibrium fati, colaphis en undique laedor;  
exutus telis ac praesidiis spoliatus,  
aegre sustineo taeterrima proelia vitae.  
Quoquo vertor, ibi est cur omni destituar spe:  
nil terget lacrimas, relevor solamine nullo.  
Quae dederant famam, nemo mea carmina laudat;  
qua fueram notus, nulli placet alma poesis;  
rarius exornant frontem iam laurea sarta.  
Discipulis quondam carus gratusque, repente  
importunus homo factus videor male fidus:  
quorsus enim instanti spectet sermone magister,  
pluribus e pueris iam vix intellegit unus.  
Contemnor veluti in domibus detrita supellex,  
quam vel mendicus renuat si munere detur.  
Ericio similis, spinis circumdor acutis,  
ne pungar subito feriarve rumore maligno.  
Iam mentem minime recreant animumve libelli,  
qui fuerant olim lepidi constanter amici,  
devia cum frenis ruptis mea sensa vagentur:  
subsiliens cerebrum iam vincula nulla coercent.  
Desperans vitam lassusque traho nocituram  
dilectae uxori, merito quam taedet inertis  
caudicis, in cuius gremio recubare necesse est.  
Incipientem annum votis plebs stulta salutat;  
ipse sed igniferis globulis rabidus male dico,  
qui caelum obscurum necopino lumine lustrant;  
nec minus oppressus sonitu iaceo crepitanti.  
Ut Flaccus quondam, vellem sic vivere posthac  
'oblitusque meorum, obliviscendus et illis' (1).

1) Hor. epist. I, 11, 9

Orestes Carbonero



Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte frankieren


RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann  
publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH-8400 Winterthur

PP/Journal

4702 Oensingen

2/97

IDIBVS AVGVSTIS  
MCMXCVII



RVMOR VARIVS



TOMVS 20

FASC. 118